



**Epicedion de obitu illvstrissimi et inclyti Principis ac Domini,
Domini Philippi, Landgrauij Hessiæ, Comititis in
ChattenElnbogen, Dietz, Ziegenhain & Nidda, laudabilis & piæ
memori?[m],**

<https://hdl.handle.net/1874/420680>

qec

5

EPICEDI
 ON DE OBITU IL
 LVSTRISSIMI ET INCLYTI
 Principis ac Domini, Domini Phi
 lippi, Landgraviū Hessiæ, Comit
 is in ChattenElnbogen, Dietz, Zie
 genhain & Nidda, laudabilis
 & piæ memorię,
 scriptum
 A

IOHANNE ZINGLARIO
 Cherusco.

ANNO M. D. LXVII.

EPIED

ON DE ORT V H

A VERBUM ET INCOR

IN

IN

IN

IN

IN

IN

IN

IN

IN

IN

IN

IN

IN

IN

IN

IN

IN

IN

IN

EPICEDION

ILLVSTRISSIMI.



Heslia uisa diu foelix, dum fata sinebant,
Orba tuo nondum principe donec eras.
Tristis inornatos at nũc age solue capillos,
Et madidas largis fletibus imple genas.

Occidit hei patriæ decus & tua fama PHILIPPVS

Heslia, qui fuerat duxq; paterq; tibi.

Auspice quo clarum cœpisti principe nomen,

Hei tibi nunc quantum nominis huius abest &

Iam non ulterius foelix dicere PHILIPPO,

Fecit Alexandro quem quoq; fama parem.

Cuius ego digne si gesta retexere coner,

Aut merita laudes voce referre velim.

Non mihi sufficerent Elegi, sed grandibus illud

Committi numeris tutius esset onus.

Qualibus ille tuus patrio cognomine Vates

HELIVS hunc cecinit, clarus ab arte, Ducẽ.

Cui modo si vitam crudelia fata dedisset,

Vt potuisset ad hunc iam superesse diem.

O quas exequias lugubri voce tulisset,

Atq; suo faceret qualia iusta duci &

Funus id extremo dum prosequeretur honore,

Cum tumulo mœstum compossturus opus.

Atq; recantatis, ad viui principis aures,

Iuncturus summam laudibus inde manum.

Scilicet à teneris reuocasset singula cunctis,

Vt si quis numeris Heruulis acta canat

EPICEDION

Aq; manu pueri collisis anguibus orsus,
 Talia ad Oeteos duceret usq; rogos
 Tunc qua præstarit puer hic quoq; præditus olim
 Indole, forte suis diceret ille modis.
 Et quæ puberibus vix dum iuuenesceret annis,
 Virtutis dederit iam documenta suæ.
 Qualibus inuictum fore se monstrauerit ausis,
 Tunc annis etiam fortior ipse suis.
 Utq; sua laudes subito virtute paternas
 Instar Alexandri vicerit usq; ducis.
 Ut bene seruiles acies, hostemq; domarit,
 Quem Sygginga dolet sic peruisse domus.
 Francorum miti pietate pepercerit aruis,
 Vindice quæ fuerant depopulanda manu.
 Atq; ita præbuerit speciem, se commoda pacis,
 Si liceat, potius quam fera bella sequi
 Et quibus auspicijs iterum, quo parta triumpho,
 Reddiderit pulso Regna paterna duci.
 Qui Vuirtembergæ ditionis proximus hæres
 Principis & genitor, qui modo regnat, erat.
 Quam vigil in castris fuerit, quã lenis in omnes,
 Qui victas illi sponte dedere manus.
 Quaq; rebellantes virtute represserit hostes,
 Imposito flexos subdideritq; iugo.
 Tum quo magnanimos Brunsvici Marte Læones,
 Egerit iratas deposuisse minas.
 Et potius mitem subiectis reddere pacem,
 Noxia quam patrio bella parare solo.

ILLVSTRISSIMI.

Vt fuerit Schytico quoq; formidabilis hosti,
 Tunc ubi vix illi nomine notus erat.
 Præterea quàm multa foris, velut alter Vlysses,
 Pertulerit cupido laudis amore suæ.
 Hinc quàm fortunæ casus infractus ad omnes
 Spreuerit hostiles fortis ubiq; minas.
 Quàm semper patriæ placida cum pace salutem
 Quæsierit, quo sit cultus amore suis.
 Qua fuerit Christi doctrinam mente professus,
 Quæq; Deo iustos nos facit esse, fidem.
 Deniq; cum læsi sensisset Cæsaris iram,
 Quod pia pro patria gesserat arma sua.
 Mox quasi militiæ studio positoq; labore,
 Cœperit urbana pace togaq; frui.
 Tranquillæq; bonis florentes legibus urbes
 Rexerit & populos in pietate suos.
 Donec ut æthereas iam morte reliquerit auras,
 Longius hac nobis viuere dignus humo.
 Hæc ubi sic celebri cecinisset carmine Vates,
 Aut non dissimili talia plura modo.
 Adderet & quantum decus hoc amiseris orba
 Principe, teq; tuam iure dolore vicem.
 Sed cum vate tuo careas nunc Hæstia tali,
 Aonius passim forte siletq; chorus.
 Non potui simul ipse meam cohibere Camœnam,
 Quin Elegis flerem tristia fata meis.
 Principis & tanti celebrarem carmine manes,
 Debita cui meritò iusta dedisse ferar.

EPICEDION.

Qui licet Aonidum iam sydera munere tangat,
 Laudibus immenso notus in orbe suis.
 Et nomen teneat, quod nullus demere liuor,
 Nulla uetustatis uis abolere potest.
 Fas tamen esse reor meritum uirtutis honorem
 Reddere, cui laudum nulla sat esse queat.
 Ergo tuo nostras cum luctu iunge querelas,
 Hei tibi iusta nimis causa doloris adest.
 Occidit ille tuus uirtutibus inclytus Heros,
 Occidit Hesiæ gloria magna domus.
 Qui dederat primus specimen uirtutis ab annis
 Ilico, spes patriæ summa fuitq; sue.
 Heroasq; inter vix tunc præstantior alter
 Indole, quos peperit Teuton's ora, fuit.
 Nec tandem spes illa prius concepta sefellit,
 Sed velut augurij est vera probata fide.
 Ecquis enim nescit quæ passim fortiter ausum
 Hunc fuerit iuuenem fama secuta ducem.
 Quantus & hoc ortus cito sit de principe rumor,
 Vix ubi prima sua ceperat arma manu.
 Omnibus admirandus erat uirtutis ob altas
 Ingenitæ laudes & iuuenile decus.
 Publicus Hesiæcum referebat sermo Philippum,
 Hoc populi crebro nomen in ore fuit.
 Hinc procul ipsius terrarum nota per orbem
 Gloria compleuit solis utranq; domum.
 Nec minus has laudes Aquilo cognouit & Auster
 Vltima qua Thule Taprobaneq; colunt.

ILLVSTRISSIMI.

Scilicet ante suos surgit velociter annos

Nec latet ingenij vis generosa diu.

Nam quibus impetibus iuuenis, quo feruidus ausu,

Inuictas tulerit promptus ad arma manus.

Quam fuerit cupidus laudis patriæq; salutis,

Quæ vis ingenij, quantus ubiq; rigor.

Cognorunt omnes magni qui littora Rheni

Proxima Chattorum finibus alta colunt.

Quiq; simul Fuldamq; bibunt patriumq; visurgim,

Et virides Mœni lenè fluentis aquas.

Prætereaq; Lanus gelidas quibus exhibet undas

Et quorum cultos Aedera sulcat agros

Id quoq; præcipue patuit, Syggingius armis

Cum petijt fines Hestia terra tuos.

Tempore bellator qui quanquam strenuus illo,

Teutonicoq; simul clarus in orbe fuit.

Ast illum hic subito prædantibus exiit armis

Atq; manu patriam vindice textit humum.

Hei quo tunc animo est hostem, quam fortiter ultus

Quem nullo merito læserat ante suo

Sed qui vim temerè moliri cœperat Hestis,

Ausus in hunc tantum bella mouere ducem.

Deflet adhuc illic mœstus sua damna colonus

Infandos casus cui meminisse dolet.

Tunc armis æquata solo cum tecla fuerunt,

Totaq; Syggingæ terra subacta domus.

Quid memorem quanta fuerit virtute videndus

Impia cum mouit rusticus arma furor

EPICEDION

Non prius hic etenim finita cæde quieuit,
 Porrigeret victas quam rea turba manus.
 Et prius infano quam libera facta tumultu
 Poneret acceptum Teutonis ora metum.
 Sanguine tunc patrij maduerunt littora Fuldæ,
 Miratus Domini qui fuit arma sui
 Corporibusq; iuit cæforum turbidus Vnster,
 Qua Thuringiacos amne pererrat agros
 Hic tibi natalem, cui Vuirtembergia paret
 Inclyte dux, potuit reddere solus humum
 Quam prius Huldriche dempta sine iure parenti
 Restituit fida, sanguine iunctus, ope.
 Hereditq; iterum vero parere coegit
 Oppida sub domini mite redacta iugum.
 Nec fuit ingenio, tanti victoris ab armis
 Arx Asperga sui tuta vel arte loci.
 Quæ licet ærium caput inter nubila tollat,
 Hoc posuit fastus vindice capta suos.
 Territa piscosi trepidarunt cornua Nicri,
 Corpora tot sterni cæsa videntis humo
 Totq; fuga lapsos homines pauidosq; timore
 Se fluuij mœstis præcipitare vadis.
 Quot vix credibile est Phrygij Simoentis ad undas
 Aeacidæ victos procubuisse manu.
 Forteq; vix tantas viderunt Pergama strages,
 Vidit ut urbs gelido Laupha propinqua Nicro.
 Tam subitus terror populi in sua fata ruentis
 Vindicis & tanti signa timentis erat.

ILLVSTRISSIMI.

Sed tamen ignari victis quod parcere possent,
 Qui nunquam domito sæuus in hoste fuit.
 Et sua quem semper mitem victoria fecit,
 Ut miseris veniam supplicibusq; daret
 Hoc igitur patriæ sublato vindice terræ,
 Iam merito, Princeps ô generose, doles.
 Te decet hic etenim quoq; tristes ducere luctus
 Dum tibi pars cecidit sanguinis illa tui,
 Occidit Hæsiacus quondã tua cura PHILIPPUS,
 Quem poteras cari patris habere loco
 At quantũ, ô parca, iam funere principis huius
 Proh dolor amisit Teutonũ ora decus.
 Præstitit hic olim multis Heroibus unus
 Quos virtus annos extulit ante suos.
 Nec spes orta fuit de quoquam principe maior,
 Vindice quo pœnas bestia sæua daret.
 Quæ procul hinc Tanain Scythicasq; egressa paludes,
 Pannonios miserè iam populatur agros
 Et studio Regnum venandi totius Orbis,
 Christianicis dudum bella nefanda mouet
 Sed malus heu Genius tantum qui laudis honorem
 Inuidit nobis hancq; salutis opem.
 Perq; tot acta diu patriæ civilibus armis
 Dissidia impedit tale sinister opus
 Hinc dum quassa graui sæuit Germania motu,
 Hinc premit insontes hostis ex inde metus.
 Alter in alterius grassatur sinibus illinc,
 Pellitur hic Regno viq; doloq; suo.

EPICEDION

Hinc urbes spreto funesto Marte petuntur
 Fœdere, & illarum diminuuntur opes.

Parte alia imperij violantur iura fidesq;
 Et pietas varijs Relligioq; dolis.

Barbarus hinc miles nostris immittitur oris,
 Multaq; Germanis non patienda facit.

Quæ causæ motas patriæ & pietatis amore
 Ipsius ultrices detinuerunt manus.

Sicq; suos in pace sibi seruauit & ipsum
 Se non incerta commoeditate suis.

Hei cur non etiam cura seruatus eadem
 Parcarum potuit iam superare manus?

Iam sapiens senij doctisq; peritior armis
 Atq; pater patriæ iure vocandus erat.

Iam grauitate sua & rerum consultus ab usu
 Viuere debuerat portus & aura suis.

Omnia dum passim dubij sunt plena tumultus,
 Et tremit armorum Teutonis ora metu.

Iam nunc illa potens, generosa & viuida bello
 Pro patriâ virtus utilis huius erat.

Qui sic militiæ perceptas calluit artes,
 Sic apto sciuit ponere castra loco.

Tam bene curauit victum, tam singula cauit,
 Militibus poterant quæ nocuisse suis.

Vt quotquot fuerant ipsius castra secuti,
 Hunc commendarent non sine laude duces

Proq; hoc, si iubeat, quoq; vitam fundere vellent,
 Dum modo sic hostes vinceret ipse suos.

Atq;

ILLVSTRISSIMI.

Atq; ego si referam, quã non modo vincere norit,
 Victricem pulchrè sed moderare manum
 Ipsius ut fuerit semper mitissima victis
 Mens, velut Heroi principis esse decet.
 Si quam magnanimo cordatus pectore princeps,
 Multa foris tulerit multa pericla domi.
 Quamq; instaurarit moratis legibus urbes,
 Omnibus æqua volens reddere iura, suas.
 Si quibus exemplis grauis & formidine pœnæ
 Præstiterit tutas per sua Regna vias,
 Sic ut non homines modo, sed pecudesq; feraq;
 Omnibus errarent, nil metuendo, locis.
 Nullaq; vis nemorum lustris damnosa noceret,
 Nec sata, quis cultos violaret agros.
 Tum doctos etiam quali dignatus amore,
 Qua ueram fassus sit pietate fidem
 Hæc, inquam, pleno si latius ore referrem,
 Carminis Iliaden vinceret huius opus.
 Ergo fuit Pylis dignus ter Nestoris æuo,
 Hic princeps meritis notus ad astra suis.
 Quo nunc omisso dolor undiq;, & undiq; luctus,
 Hæbiacos circum tristis oberrat agros
 Nunc etiam patrij montes lugere uidentur,
 Nunc iuga, cum lustris & nemus omne suis.
 Nunc illic solitos omittere flumina cursus,
 Ac perturbatis tristius ire vadis.
 Hũc Lanus, hũc Mœnus deflet, Rhenusq; bicornis,
 Hunc dolet obscuris Aedera mœstus aquis
 Flumina

EPICEDION.

Flumineoq; ferit saxa indignantia planctu,
 Dum reuocat Dominum Fulda gemitq; suum.
 Quin etiam ex ipsis queruli vox murmuris undis
 Tristis ab impulsis littoribusq; venit.
 Non choreas ducunt modo sed feralia Nymphæ,
 Funera, quæ syluas quæ fluuiosq; colunt.
 Et pro florigeris texunt lugubria fertis
 Carmina, flebilibus sic iterata modis.
 Hei decus hei custos nostrarum deliciarum
 Occidit, hei nobis hei lachrymosa dies.
 Qua iacet inuictus modo gloria nostra Philippus,
 Hæstia quo fœlix principe terra fuit.
 Annosas inter Dryadas qui longius æuum,
 Nestoreosq; dies viuere dignus erat.
 Dicite fatales, crudelia numina, Parcæ,
 Cur vestræ non hic abstinuere manus?
 Cur licuit, seros hinc quod differre subannos
 Et melius uobis non licuisse fuit?
 Sed tamen ausuræ frustra violare Deorum
 Progeniem, sæuas iam cohibete manus.
 Haud decus hoc nobis aut spes iacet omnis in uno,
 Pars manet illustris magna relicta domus.
 Extant hæredes patrij modo nominis extant,
 Iure quibus dominis Hæstia paret humus.
 Viuite magnanimi soboles generosa PHILIPPI,
 Viuite germani fortia corda Duces.
 Vos Lætorum fœlix concordia fratrum,
 Aethereo dignos seruet honore diu.

Vobis

ILLVSTRISSIMI.

Vobis Ianificæ deducant longa Sorores
 Stamina, Nestoreos dentq; videre dies.
 Iam dolor & tristes iterum cessate querelæ,
 His Ducibus nunquam gloria nostra cadet.
 Quis tamen hos etiam iubeat vos ponere luctus,
 O Soboles tanto digna parente Duces &
 Maximus hic vestri dum sanguinis occidit Autor,
 Qui vobis Phyrro dux quod Achilles, erat.
 Ipsi quid deceat vos nomina tanta videtis,
 Quiq; lachrymarum debeat esse modus.
 Non etenim periit nobis, non occidit Heros,
 Sed verum vita viuit habente decus.
 Ossa iacent tumulo, generosa sed inscia mortis.
 Gaudet in Elysijs Mensq; vagatur agris.
 Vnde reuertetur, sanctosq; videbitur inter
 Heroas, quando fulserit illa dies.
 Qua surgent iterum moestis exempta sepulchris
 Corpora, viuifico glorificata Deo.
 Interea, ô Nymphæ, studium quibus arua tueri,
 Iam tenero laxos pandite flore sinus.
 Spargite odoratas herbas & spargite flores,
 In tumulo, tanti quo Ducis ossa cubant.
 Ferte leues violas & purpureos Hiachyntos
 Balsama, Narcissos, Coritiumq; Crocum,
 Carmen & in viridi iuxta sic scribite sago
 Quod memor obseruet posteritasq; legat.

EPIT A.

EPITAPHIVM.

HOC sita magnanimi tumulo sunt ossa Philippi
 Qui fuit Hesiace gloria magna domus.
 Quiq; fide nulli, nulli virtute secundus,
 Militiæ meruit grande togæq; decus.
 Dum patriæ pugnat pro libertate salutis,
 Multa foris passus, multa pericla domi.
 Fortiter Agrestum motus aciesq; represit,
 Soluit ab infesto Teutoniæq; metu.
 Sueuorumq;, Nicer gelidis ubi labitur undis,
 Dempta prius Domini subdidit arua iugo.
 Ipsius expertus vires Syggingius armis,
 Sanguineam caeso corpore pressit humum.
 Ipsius audito tremuit clangore tubarum
 Francia, quæ duros gignit in arma viros.
 Ipsius à motis timuit gens Rhetica signis,
 Quam niue duratis asperat Ister aquis
 Hic quoq; Saxonicum potuit terrere Leonem
 Ut domito seuas poneret ungue minas.
 Quin & Cæsareis Aquilis in prælia forti
 Pectore, non tergo, cognitus ipse fuit.
 Qualibus hunc tandem victas, ob publica pacis
 Commoda, non piguit sponte dedisse manus.
 Non tamen huic veræ pietatis pectore cultus
 Excidit, inuictam mensq; profecta fidem.

Pro

ILLVSTRISSIMI.

Pro qua præcipue, manibus certare paratus,
 Nulla recusavit sæpe pericla pati.
 At ceu vindicibus princeps fuit acer in armis,
 Sic nisi pro patria prælia nulla tulit.
 Tutamq; tranquillæ plus otia pacis amavit
 Excita quam sæua bella cruenta manu.
 Et veniam victis, quoties victoria parta est,
 Non unquam domito sæuus in hoste, dedit.
 Vix patriæ ditionis opes prudentius alter
 Rexit, in officio continuitq; suos.
 Pœnarumq; metu cauit, ne publica mores
 Læderet in Regnis pax violata suis.
 Neue minus tutum faceret, quacunq; liceret,
 Prædonum metuens fraude uiator, iter
 Gymnasiumq; recens patefcit et atria Musis
 Vrbs ubi Mauortis nomine dicta iacet.
 Discat ut Aonias artes ibi culta iuuentus,
 Doctaq; Cecropiæ Palladis arma colat.
 Ergo prius solitum mutauerit Aedera cursum,
 Mœnia qui liquidis alluit ista uadis
 Aut citius retro flectet sua cornua Rhenus,
 Et repetet verso flumine Fulda caput.
 Quam decus, inuicti virtuteq; parta PHILIPPI
 Principis hæc poterit fama sepulta mori.
 Cuius in hoc tumulo iam molliter ossa quiescant,
 Spiritus ætherei carpat honoris opes.

A 2229714

OCN 496615204

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

1783